



~~P. 118.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

III A 114.

SIGNAT. 61515CCCXIII.





CHRISTIANI WEISII,  
SUBSIDIUM PUERILE

3

de

ARTIFICIO

& USU

CHIRIARUM

in eorum gratiam,

qui tandem ad

INSTITUTIONES

ORATORIAS

faciliori cursu tum ipsi pergere,

tum aliis

informatione vel consilio

præire volunt,

publici juris factum.

---

*Zittavia,*

Typis Michaëlis Hartmanni.

M DC LXXXIX.



PUERIS,  
PUERORUM MAGISTRIS,  
MAGISTRORUM CENSO-  
RIBUS  
ET CONSILIARIIS,  
SACRUM.



## LECTOR BENEVOLE.

Tertius jam agitur annus, ex quo in publicam lucem prodire passus sum Oratorias meas Institutiones: breves eas & perspicuas quidem, nisi omnia me fallunt, ut legi & intelligi posse viderentur, vel sine Magistro. Sed cum aliqua dirigerentur ad Profectiores, qui vel docere cuperent alios, vel proficere studerent ipsi: fieri vix potuit, quo minus intercederent nonnulla tionibus parum commoda, quibus tamen dijudicandis singuli Præceptores non sufficerent. Inde qui filium nunc habeo primis Oratoriæ studiis maturum, qui clariorum quoque Parentum filios eodem complecti amore jubeor, quod sæpè à me optatum est, efficere constitui: congestis sub unum conspectum Regulis & Exemplis, quæ quidem puerilibus incipientium exercitiis convenirent. Sic enim dubium est nullum, ad ipsas tandem Institutiones aliquanto perveniri posse feliciter. Interim monere nonnulla visum fuit.

I. Qui puerum manuducere velit ad Oratoriam, necesse est, ut aliquo Logices prægustu doctrinam Enunciationis & Enthymematis seu Syllogismi præmiserit. Qui enim nesciat Subjectum & Prædicatum, Antecedens & Consequens, Conclusionem & Medium Terminum: quibus adminiculis hic dirigi queat, ego certè non video.

II. Qui subjicere velit exempla, Primo de operam, ut in promptu sint visibilia, h. e. vel artificialia vel naturalia, quibus capiendis & dijudicandis tenerior ætas sufficit. Postea tamen magis placeant moralia, h. e. Ethica vel Politica,



ca, quæ non solum usibus humanis sunt propiora, sed etiam meditationibus politioribus inserviunt.

III. Si quæ secundum Ordinem Disciplinæ fuerint disposita, vetari nolim, quo minus Informator utatur liberâ suâ prudentiâ. Immoretur puer solis Periodis simplicibus, antequam attingat compositas: Adjectiones exerceat verbales, antequam progrediatur ad reales: si nondum capit Amplificationes singulares, satis sit explicare vulgares. Nam in Doctrinâ captus puerorum suprema Lex est.

IV. Forte aliqui scire voluerint, quid de Auctorum Lectione statuam? Sanè multum excitari animos, propositis aliorum exemplis, non inficior. Interim, qui homines nondum confirmatos abripere velit in campum, non Regulis, sed exceptionibus & heroicis licentiis plenum, vereor ne ipsos confundat vel deterreat magis, quam adjuvet. Nam Auctores maturo iudicio, pensatis circumstantiarum mysteriis, ac virili prorsus maiestate commendati, pleraque jactant, pueris vel incognita, vel extra eorum admirationem & imitationem posita. Quamobrem ab Informantibus detur opera, ne desint exempla pro captu discipulorum expressa, donec ætatis ratio gressus paulo firmiores admittat. Cæterum quid in hoc compendio quæsierim, quantum ad capiendas Institutiones auxilium afferre voluerim, ut ipse iudices, rogo. DEUS fervet patriam, & in ea viros tum eloquentes, tum eloquentiæ benignos. *Scribeb. è Gymnasio Zittaviensi Calendis Sept. M DC LXXXIX.*

PRÆ-





# PRÆPARATIO.

I.

**C**hria est connexio multarum  
Enunciationum, *seu ut in Orato-*  
*riâ loquimur, multarum Perio-*  
*odorum.*

II. Sed quatuor Generum sunt Perio-  
di vel Enunciationes, quæ Chriam con-  
ficiunt, ac vocantur PROTASIS, ÆTIO-  
LOGIA, AMPLIFICATIO, CONCLU-  
SIO.

Fundamentum sic intelligitur. Est Periodus

1. Quæ proponit. 2. Quæ probat. 3. Quæ  
illustrat. 4. Quæ concludit.

I.

Prot. *Fenestra est fragilis.*

Ætiol. *Nam constat ex vitro.*

Amplif. *Sicut frangitur poculum vitreum, sic  
orbis vitreus.*

Concl. *Ergo cum tractamus fenestras, simus  
canti.*

2.

Prot. *Mensa potest comburi.*

Ætiol. *Nam constat ex ligno.*

Amplif. *Si esset ex lapide, non combureretur.*

Concl. *Ergo nolimus relinquere candelam ar-  
dentem in mensâ.*

A 3

Prot.



3.

Prot. *Ebrietas nocet ingenii.*

Ætiol. *Nam hominem reddit ignavum & somnolentum.*

Amplif. *Sicut nimia pluvia campos reddit inutilis; sic nimius potus obruit ingenia.*

Concl. *Ergo demus operam temperantia.*

III. Amplificatio est Quadruplex:  
à CONTRARIO, à COMPARATO, ab EXEM-  
PLO, à TESTIMONIO.

Prot. *Filii Parentibus debent esse obedientes.*

Ætiol. *Nam DEUS obedientibus promisit felicitatem.*

Amplif. à Contr. *Inobedientes sunt infelices.*

à Comp. *Sicut arbor crescit ad aquas: ita filius obediens progerminat.*

ab Exempl. *Josephus obediens erat felix.*

à Testim. *Salomon Proverb. 13. inquit: Sapiens filius admittit Patris disciplinam.*

Concl. *Ergo qui felicitatem suam intelligit, commotionibus paternis non resistit.*

IV. Neq; necessarium est, semper adesse quatuor has Amplificationes; sed illæ sufficiunt, quas Orator habet in promptu.

Prot. *Morum civilitas decet juvenem.*

Ætiol. *Nam allicit Patronorum gratiam.*

Ampl. à Testim. *Cardinalis Mazarinus civilitatem dixit optimas literas commendatitias.*

à Com.



à Compar. *Cibus habetur præstantior, quem coquus in patinâ pulchrè componit: et eruditus magis æstimatur, quem externi mores commendant.*

Prot: *Homines rixosi plerisq̄ sunt odiosi.*

Ætiol: *Nam turbant hominum amicitiam.*

Amplif: ab Exempl. *Apud veteres Rhodios nemo libenter frequentabat sacrificia, quoniam ea celebrabantur jurgiis & rixis.*

à Contrar: *Ex adverso, qui verborum studet blanditiis, amicos invenit.*

V. Interim non sufficit breviter nosse structuram vel ordinem Chriæ: sed ulterius quæri debet, unde veniat Verborum ornatus.

VI. Inde certis capitibus ostendetur.

1. *Quomodo ex Propositione Logica fiat Periodus.*
2. *Quomodo è Periodis fiat Chria.*
3. *Quomodo è Chriis fiat Oratio.*

## CAP. I.

### DE PERIODO.

I. Periodus est Enunciatio Logica cujus Subjectum & Prædicatum variis adjectionibus illustratur.

II. In Periodo considerari duo possunt  
STRUCTURA & ORNATUS.

A 4

III. Quo-



III. Quoad Structuram Periodus est vel SIMPLEX vel COMPOSITA.

IV. Periodus simplex refert Enunciationem simplicem, & suas adjectiones, seu Subjecti & Prædicati determinationes, meris commatibus distingvit.

*Qui librorum pulchritudine captus, omnem operam & industriam in illorum tractatione consumit, is dubitare non debet, affuturam & bonorum commendationem, & Patronorum promotionem.*

V. Periodus composita refert Enunciationem compositam, ac Antecedens & Consequens per Colon distingvit.

VI. Ea est vel Conditionalis, vel Concessiva.

VII. Conditionalis dirigitur per Particulam conditionalem Si, ac posito certo Antecedente, Consequens, seu principalem suam Thesin, confirmat.

*Si diligentia & virtus juvenem commendat: frater tuus omni merito Patronis & Amicis est commendatissimus.*

*Si quis Promotorum gratiam & benignitatem inter Studiosos acquisivit unquam: optimus certè hic juvenis adeò commendatus est, ut multorum gratulationem mereatur.*



IIIX. Periodus Concessiva habet Particulas Concessivas *Etsi, Tametsi, Quamvis, Licet, &c.* Et in Antecedente videtur concedere Contrarium, salvo tamen Consequente.

IX. Duabus autem Regulis dirigitur Periodus Concessiva. Prima est: *Etsi alia vel contraria Subjecta habent hoc Prædicatum: Istud tamen Subjectum huic imprimis convenit.*

Etsi omnes disciplinæ laudantur: tamen Theologia præ cæteris laudatur.

Etsi adulatio nonnullis placet: tamen cordatoribus magis placet veritas.

X. Altera Regula est: *Etsi alia vel contraria Prædicata tribuuntur huic Subjecto: Hoc tamen Prædicatum ipsi quam maxime convenit.*

Etsi temperantia varia habet Prædicata, dum conservat corporis valetudinem, studendi affert alacritatem, conversandi promptitudinem: tamen id præ cæteris laudandum, quod Patronos & Benefactores conciliat.

Etsi temperantia passim habet Prædicata minus honorifica, quod ejus cultores hilaritati & conversationi dicuntur inutiles: prudentiores tamen singularem ipsi promotionis & felicitatis causam adscribunt.



XI. Sunt plura Periodorum Compositarum genera, velut *Adversativa*, *Consecutiva*, *Comparativa*, &c. Quia tamen reduci possunt vel ad Conditionales, vel Concessivas, cognoscantur ex Praxi,

*Multis placet ebrietas: sed cordatioribus probata semper fuit temperantia.*

*Postquam studia vix procedunt, si absit ingeniorum felicitas: id semper suadent sapientes, ut simus in vitâ Temperantiæ studiosi.*

*Quemadmodum diurna lux adjuvat viatores: ita sapientiæ lux dirigit homines in actionibus politicis.*

XII. Respectu Structuræ Periodus etiam est Ordinata, quæ ponit Subjectum primo, Prædicatum secundo loco,

*Virtus laudatur.*

*Ignavia contemnitur.*

vel Inordinata, quæ Prædicatum ponit primo loco,

*Aspicio laudes, quæ reperiuntur in virtute.*

*Maximus contemptus eos sequitur, qui sunt ignavi.*

XIII. Ornatus Periodi fit per Adjectiones tum VERBALES, tum REALES.

XIV. Adjectiones Verbales Subjectum vel Prædicatum pluribus verbis expriment.

I. Dum



1. Dum Verbum resolvitur in Substantivum,  
*Virtus laudatur, laudibus afficitur*  
*Liber delectat, voluptatem affert.*
2. Dum Substantivum accedit Substantivo,  
*Libri elegantia delectat*  
*Liber voluptatis fructum affert.*
3. Dum Substantivis accedunt Epitheta s. Ad-  
jectiva.  
*Exquisitissima libri elegantia delectat.*  
*Libri pulcherrimè scripti elegantia delectat.*  
*Liber immensum præclarissimæ voluptatis*  
*fructum affert.*
4. Dum singulæ voces repetuntur per Syno-  
nyma  
*Singularis libri pulchritudo, incomparabilis*  
*elegantia, admiranda suavitas voluptatem*  
*animi, recreationem, ac nobilissimas deli-*  
*cias affert.*

XV. Adjectionibus Verbalibus per-  
multum conducit Verborum PERMU-  
TATIO & VARIATIO.

XVI. Permutatio procedit.

1. Per Synonyma.

*Laus, deprecatio, commendatio, encomi-*  
*um, delectat, placet, letificat, titillat.*

2. Per Contraria.

*Laus delectat, non displicet, non est ingr-*  
*ata, cui sit odiosa?*

3. Per



## 3. Per alias Partes Orationis

*Laus delectat. Laudari jucundum est.*

*Dum commendamur, gaudio perfundimur.*

XVII. Variatio vel est Substantivorum, vel Verborum. Substantivorum per Casus.

Nom. *Laus delectat.*

Gen. *Laudis maxime sunt deliciae.*

Dat. *Laudi magna semper inest voluptas.*

Acc. *Laudes agnoscimus jucundissimas*

Voc. *O Laudes, quis vestram satis exprimat dulcedinem.*

Abl. *In laudibus genuina reperitur suavitas.*

Verborum per Tempora, Modos & Personas.

*Laus delectat.*

*Cur laudes Te non delectent?*

*Laude quis non delectetur?*

*Laudando plerosq̄, delectari videas.*

*Laudando cur non delecteris?*

XIIX. Adjectio Realis procedit vel per Formulas Judicantes, vel per Amplificationem Subjecti & Prædicati.

XIX. Formulæ judicantes sunt duplices:

I. *Probant Subjecti & Prædicati Connexionem.*

Qvi



Qvi hoc Subjectum considerat, invenit hoc Prædicatum.

*Qui laudis efficaciam perpenderit, non ignorabit insignem ejus voluptatem.*

*Ineptus & humane conditionis ignarus fuerit, qvi credere nolit, laudibus maximam inesse suavitatem.*

2. *Laudant vel vituperant Connexionem.*

Qvi laudatum hoc Subjectum considerat, gaudet & gratulatur adesse Prædicatum.

*Qui, quantum ingenii temperantia conducit, cognoverit, is eundem judicabit felicissimum, omniq<sub>3</sub> gratulatione dignissimum, qvi virtutis tam laudate studio fuerit commendatus.*

Qvi turpe hoc & noxium Subjectum considerat, is dolet, ingratum hoc adesse Prædicatum.

*Quicumq<sub>3</sub> pestilentissimum Ebrietatis vitium aliquanto inspexerit penitius, is copiosissimis sepè lacrymis Studiosorum conditionem deplorat, qvi suam hic perniciem invenerunt.*

XX. Amplificatio Subjecti vel Prædicati venit ab Allusione, vel à Periphrasi.

XXI. Allusio procedit ex illis fontibus, quibus alioquin utitur Chria, in suis Amplificationibus. 1. Bo-



## 1. Bonus Liber placet.

CONTR. Bonus liber non fastidium & nauseam, quod deteriorum hominum scripta passim faciunt, sed voluptatem & insignem legendi suavitatem affert.

COMPARAT. Bonus liber, velut amoenissimus campus, graminum & florum elegantiam commendatus, dulcissima quadam voluptate lectorum animos invitat.

EXEMPL. Bonus liber, cujus generis sunt Erasmi colloquia, lectorem non dimittit sine jucunditatis sensu.

## 2. Castitas ornat juvenes.

CONTR. Qui sanctam animi puritatem ita custodit, ut à pestilentissimis & turpissimis cupidinum illecebris semper esse velit alienissimus, is omnium laudem & commendationem meretur.

COMP. Pudicitia, velut auro gemmisq; distinctum cimelium, juvenibus singularem conciliat gratiam.

EXEMPL. Ea continentia, virtus, quae Josephum olim DEO & hominibus reddidit acceptissimum, singulos quoq; juvenes ornamentis non diversis prosequitur.

XXII. Periphrasis est ulterior Subjuncti vel Prædicati descriptio per Circumstantias.

Fe-



Fenestra est fragilis.

*Fenestra sumptibus non contemnendis comparata, levi brachiorum, vel baculorum contactu dissolvitur.*

Capilli sunt pectendi.

*Capilli, quos vel natura, vel tonsor eleganter composuit, & horis matutinis, & repetitis per diem vicibus sedulo pectendi sunt.*

Pecunia est custodienda.

*Pecunia, vel difficili Parentum labore, vel molestis nostris servitiis acquisita, futuris usibus & necessitatibus diligenter asserve-  
tur.* NB.

Hæc Periphrasis intelligi vix potest sine doctrinâ Topicâ: Tirones tamen nacti Præceptorem hujus rei gnarum, subsidii loco excerceantur per Quæstiones *Quid? Unde? Cui? Quomodo? Cur? Quid sequitur? Ubi? Quando?*

I. LIBER BONUS FLACET.

De Subjecto quæritur:

*Unde? scriptus est à viris præstantissimis.*

*Cur? ut Studiosis inserviat.*

De Prædicato quæritur:

*Cui? Docentibus & discipulis.*

*Quomodo? legunt, repetunt, memoria mandant.*

*Quando? Horis diurnis & nocturnis.*

*Quid sequitur? Alii hoc exemplo invitantur ad lectionem.*

Sic



Sic habemus Periodum:

*Cum à præstantissimis rerum divinarum & humanarum Interpretibus scriptum aliquod conceptum est, quod curiosos juvenum animos ad vera sapientiæ fundamenta deducit, non discentibus modo, sed doctibus etiam ea instillatur cupiditas, ut horis tam diurnis, quam nocturnis omnia sedulo legant, serio repetant, memorie firmiter mandent, donec plures, passim testes & admiratores adipiscantur.*

2. PUERI DEBENT MANUDUCI AD ORATORIAM,

De Subjecto quæritur:

*Quando? Dum egrediuntur decimum annum.*

*Ubi? Dum versantur in Scholis sive publicis, sive privatis.*

De Prædicato quæritur:

*Unde? à Præceptoribus.*

*Quomodo? Per Regulas, per Exempla, per Exercitia.*

*Cur? ut pulchrè discant loqui.*

Sic habemus Periodum.

*Cum adolescentuli decimum jam ætatis annum egrediuntur, ac in Scholis tum publicis, tum privatis ad locum aliquanto honoratiorem perveniunt, fidelissimi Præceptoris hoc est officium, ut explicatis Regulis, propositis exemplis, frequentatis exercitiis*



*citiis eò laborem conferant, ne ad virilem  
etatem progressis verborum & graviorum  
& pulchriorum desit apparatus.*

### 3. COMMODA HABITATIO EST BENEFICIUM DEI.

De Subjecto quæritur:

Unde? *Hereditate parentis.*

Quomodo? *Conclavibus, situ, & aëris  
commoditate probata.*

Cur? *ut inserviat vitæ necessitatibus &  
deliciis.*

Quid sequitur? *Omnes eandem depræ-  
dicant.*

De Prædicato quæritur:

Quid? *Est gratuitum beneficium.*

Unde? *à supremo Benefactore.*

Quid sequitur? *Is Benefactor laudibus &  
pietate venerandus est.*

Sic habemus Periodum.

*Sunt homines, quibus felicissimâ parentum he-  
reditate contigit habitatio conclavibus, vici-  
niâ, aërisq; commoditate ita præstans, ut non  
solum familiæ necessitatibus & deliciis uber-  
tim inserviat, sed etiam varios in universâ  
civitate deprædicatores inveniat: Qui ta-  
men agnoscant incomparabile beneficium,  
summi ac cœlestis benefactoris gratiâ conces-  
sum, quem laudibus gratisq; præconiis sem-  
per prosequantur.*



XXIII. Hic etiam aliquid valet Distributio per Partes:

1. Hortus est amœnus.

*Tanta hic est arborum, fruticum, herbarum, florum & domesticorum, & exoticorum copia, quæ hospitis & advenarum oculos, nares, palatum, ipsam deniq; mentem deliciis deditam exhilarant.*

2. Filii Parentibus apprecentur felicitatem.

*Filii precibus, votis & suspiriis DEUM sollicitent, velit adesse Parentibus, ut corporis valetudinem, animi vigorem, in consiliis successum, familiae florem ac omnis opulentiae fructum longis imposteriorum annis possideant.*

3. Bellum est fugiendum.

*Quoniam ferventibus armis oppida diripiuntur, templa profanantur, Palatia destruuntur, agri vastantur, homines vel in servitutem abripiuntur, vel ad extremam paupertatem rediguntur, omnibus negotiis, omnibus consiliis, omnibus precibus id agamus, ne tanta calamitas Reipubl. salutem interturbet.*

XXIV. Periodus sæpe resolvitur in plures Periodos.

1. Beneficio Formulæ judicantis.

*Diligentia affert præmium.*

*Semper ego laudare soleo diligentiam.*

EA



*Ea enim homines adeò reddit felices, ut certis gaudeant præmiis.*

Garrulitas impedit promotionem.

*Quoties audio garrulum, ejus ego maximam infelicitatem deplorare soleo.*

*Nam si spectes miserum hujus vitii fructum, id tandem consequitur, ut omnem promotionis fiduciam expirasse videamus.*

## 2. Occasione Periodi Concessivæ.

Etsi diligentia videtur habere molestiam: in eo tamen placet, quod affert præmium.

*Sunt nonnulli, qui miseram & molestam judicant diligentie conditionem.*

*Vident enim continuis laboribus & meditationibus variam impediri voluptatem:*

*Sed qui rem perpendunt accuratius, eandem singulis commendant, quod insignibus præmiis afficere solet juvenes.*

Etsi garrulitas aliquibus videtur jucunda: tamen id habet mali, ut impediatur promotionem.

*Non desunt homines, qui singularem in garrulitate dulcedinem reperiri credunt.*

*Nam qui variis indulget fabulis, pulchram invenit fallendi temporis materiam.*

*Interim is tandem eventus sequitur, ut promotionis spes eripiatur.*



3. Occasione Periodi Comparativæ.  
 Quemadmodum delicato jusculo commen-  
 datur cibus: ita politis verbis commen-  
 datur eruditio.

*Quæro ex vobis, nonne magis appetitui  
 conducit cibus, delicato jusculo com-  
 mendatus?*

*Quod enim extrinsecus pulchrum est, id  
 internâ quoq; præstantiâ pollere, com-  
 munitè creditur.*

*Et ea planè verborum est ratio, quæ poli-  
 tis suis formulis, internam doctrine no-  
 bilitatem arguere videntur.*

NB. Artificium sic intelligi potest.

1. *Qualibet Periodus Composita habet Ante-  
 cedens & Consequens.*
2. *Quodlibet Antecedens potest tractari tan-  
 quam peculiaris Periodus.*
3. *Ubi peculiaris est Periodus; ibi adjici  
 potest nova ætiologia.*

Unde jam clarum erit, cur Periodi doctrina  
 proponi nequeat, antequam inculcetur  
 structura Chriæ, secundum brevitatem  
 Logicam concepta.

## CAPUT II.

### DE CHRIA.

I. Chriam dividi solere in quatuor  
 partes PROTASIN, ÆTIOLOGIAM,  
 AM-



AMPLIFICATIONEM & CONCLUSIONEM, supra dictum est.

*Vide Exemplum supra pag. 6. positum, cui nunc accommodabimus Regulas.*

II. Protasis habet Thesin principalem, quæ tractari & explicari debet, cujus gratiâ reliqua dicuntur.

Quam commodissimè admittit Periodum concessivam.

*Cum omnes isti juvenes insignem laudem meruisse videntur, qui Virtutis studio ducti hominum meliorum testimonia reportant: illi tamen præ cæteris commendandi sunt, qui Parentibus suis obsequio & modestiâ placere student.*

*Sunt qui ferociam & petulantiam in juvenibus ita commendant, ut exinde, nescio quam heroicam virtutem augurari non dubitent: à quibus tamen ego sic dissentio, ut optimum juvenis ornamentum, in obsequio Parentibus præstito, repositum esse credam.*

III. Ætiologia rationem adducit, cur vera sit Protasis.

*Inveniri potest ab eo, qui jam in Logicis attigit doctrinam Topicam: unde tironi sufficiant exempla Præceptoris.*

Locum hic invenit Periodus conditionalis, quæ novis rationibus ætiologiam illustrat.



*Si enim ideo vivimus, ut simus felices; ac omnis felicitas expectari debet à DEO: hunc certè scopum assequuntur optime frugis filii, quibus divina veritas salutem & florem verbis quàm clarissimis promisit.*

Neque nihil præstat distributio.

*His enim filiis recepit DEUS, fore, ut in negotiis successum, in promotione auxilium, in functione gratiam & auctoritatem, in ipsa deniq; conscientiam quietem & letitiam sint experturi.*

IV. Interdum plures adducuntur Ætiologiae.

1. *DEUS obedientibus promisit felicitatem.*
2. *Parentes variis beneficiis filios in id sibi devinxerunt.*
3. *Filii tale obsequium à suis aliquando postulabunt liberis.*

Quo Loco singularem gratiam habet Periodus Disjunctiva.

*Sive enim respicias promissum divinum, quod summam obedientibus felicitatem offert; sive Parentes vario beneficio grati animi hanc pietatem jam injunxerunt; sive ipsorum interest filiorum, laudabili hoc exemplo suos, quos habituri sunt liberos, admoneri: non video, cur ab hoc officio quicquam possit absolvi.*

V. Am-



V. Amplificatio à Contrario nonnulla vel exagitat, vel refutat, quæ cum Ætiologiâ pugnans.

Pulchrè hic proceditur per formulam judicantem.

*O miseros eos, quibus exiguum videtur Parentum jussa contemnere: Vereor enim ne severissimi judicis penam, & extremam suam infelicitatem subito nimis experiantur.*

Valet etiam Distributio.

*Ex adverso, qui monitis parentum illudere non dubitat, nihil miretur, si corporis adversa valetudo, conscientie morsus, bonorum jactura, studiorum infelix successus, publicus deniq; contemptus, seriam quidem, sed seram exigat pœnitentiam.*

Vel affectuosa formula per objectionem & responsionem.

*Ubi autem estis perversa capita, quibus parum videtur jussa Parentum contemnere? An vos allegare potestis voluptatum & deliciarum commoda, quibus frui videntur, qui excusso superiorum jugo, suum sequuntur arbitrium? Cur non potius, divine comminationis memores, potentissimum tanti sceleris judicem exhorrescitis.*

VI. Amplificatio à Comparato certis imaginibus & similitudinibus ætiologiam illustrant.

Lo.



Locum habet Periodus comparativa, quæ habet Propositionem & Applicationem.

*Aspicite arborem ad aquas plantatam, quanta foliorum, florum & fructuum copia felicem & fecundam ejus pulchritudinem demonstrat? Interim credite mihi, multo virentiorem & fertiliorem esse juvenum conditionem, qui Parentibus debitum non denegant officium.*

VII. Amplificatio ab Exemplo Res vel Personas allegat, in quibus probata fuit ætiologiæ veritas.

Hæc etiam Periodus est Comparativa, quæ resolvitur in Narrationem & Applicationem.

*Nunquam audivistis, quanta premia quondam reportaverit Josephus Jacobo Parenti obsequens? Ideo certè proditum memorie fuit ejus exemplum, ut, quicumq; suum ita fecerint officium, similem sibi prosperitatem polliceatur.*

VIII. Amplificatio à Testimonio verba profert Auctoris clarissimi fideiq; minus dubiæ, quæ cum Ætiologiâ, vel cum Protasi consentiant.

Tria hic exprimi possunt:

Laus Auctoris: *O divine Salomon, te cœlestis impleverat Sapientia, tua dicta pro indubitatis oraculis merito veneramur.*

Dictum ipsum: *Tu solebas dicere, sapientem filium admittere disciplinam patris.*

Pa-



Paraphrasis seu uberior Verborum explicatio: *Nam id innuere velle videbaris: filium sue felicitati suaeq; saluti serio deditum, quod fieri solet à sapientibus, nihil habere prius aut antiquius, quam ut Patri monenti vel objurganti promptum obsequium, ac voluntatem omnino paratam testetur.*

IX. Conclusio vel repetit Protasin, ac ejus Veritatem denuo deprædicat, vel doctrinam è Protasi fluentem subjicit.

*O igitur juvenes, qui paterno beneficio educati, filiorum nomen & officium geritis, omnem eo laborem & operam conferre conemini, ut Parentibus vestris observantia & obsequium comprobetur.*

*Quamobrem ô dilectissimi Auditores agnoscite beneficia Parentum & amicorum, qui salutarem hanc virtutem, ac adeo vestram vobis prosperitatem suis admonitionibus commendant.*

X. De Amplificationibus id quoq; notandum, referri aliquas ad Ætiologiam, aliquas ad Contrarium.

*Protasis: Præmia excitant Virtutem.*

*Ætiol: Homines enim habendi studio trahuntur.*

*Amplif: à Testim: Livii dictum est: Nihil non aggressuri sunt homines, si magna conantibus magna præmia proponantur.*

Con-



Contr. *Ex adverso negatis premiis marcescunt virtus*  
 Amplif. à Simili. *Ubi non ungitur rota,  
 currus ex voto non procedit.*

XI. Cæterum præter has Amplifica-  
 tiones, quas in Oratoria vocamus VUL-  
 GARES, adhuc habemus alias DIALE-  
 CTICAS & SINGULARES.

XII. Dialecticæ veniunt à Locis To-  
 picis.

*Quamdiu Loci topici tironibus sunt incogniti, non  
 est, cur ad hanc subtilitatem abripiantur.  
 Proinde sufficiant illis, quæ supra diximus  
 de Adjectione circumstantiarum,*

XIII. Amplificationes singulares ve-  
 niunt ab Interpretatione, ab Insinuatione, à  
 Meditatione. sed tironibus sufficiat Insinu-  
 atio.

Vocatur Amplificatio à voto, vel à Compli-  
 mento.

Protas. *Pietas requiritur à Politico.*

Ætiol. *Nam divina providentia gubernat mun-  
 dum.*

Amplif. à Testim. *Symbolum Potentissimi nostri  
 Electoris est, JEHOVA VEXILLUM  
 MEUM.*

Insinuatio: *O Vivat optimus Patriæ Pater,  
 & cum ab ipsius securitate non Reipubl.  
 saltem, sed Ecclesiæ simul magna voluptas  
 de-*



*dependere videatur, seri demum Posteris rebus eundem humanis excessisse cognoscant.*

Prot. *Studiosus fuit felix.*

Ætiol. *Nam adjutus est Patronorum stipendio.*

Insinuatio. *O recordetur DEUS tanti beneficii, ac ut nobilissimi Patrie custodes benefacere queant ulterius, eosdem esse jubet at publicè faustos, privatim florentes, undiqvâq; beatos.*

Prot. *Bellum est noxium.*

Ætiol. *Id nunc experitur Germania.*

Insinuatio. *Misereatur DEUS sui populi: et quando peccatis nostris ardentem ejus iram provocavimus, pro paterno tamen affectu suo, ne prorsus intereat Christianae Religionis sedes, quietem & tranquillitatem vicissim indulgeat.*

XIV. Dantur etiam Formulæ connectentes, quæ Periodos majori gratiâ vel efficaciâ conjungunt.

*Sufficiat aliqua proposuisse, quæ inveniendis pluribus inserviant.*

Ante Ætiologiam.

*Et istud vero, quam clarum & indubitatum sit, facile monstrabimus.*

*Facite nobis hanc gratiam, Auditores, ac ipsius rei fundamenta paulo peritius nobiscum perpendite.*

*Negs*



*Neq̄, credo quempiam adeo fore vel doctrine, vel rationis expertem, ut fidem rebus in se perspicuis habere nolit.*

Ante Contrarium.

*Utinam vero his rationibus permoti omnes à contrario sibi caverent.*

*Jam quero ex vobis, an eorum satis deplorari queat miseria, (satis deprædicari queat felicitas) quibus placet contrarium.*

*Eant nunc & sibi placeant, qui &c.*

Ante reliqvas Amplificationes.

*Quod si quis adhuc dubitare velit, oculos convertat in arborem.*

*Prodeat in medium Josephus, audire libeat Salomonem.*

*Molestum forte non fuerit, digredi ad hoc.*

*Dum ista loquor, in mentem venit hoc.*

Post Amplificationem,

*Sed ut redeamus ad hoc, unde nos rei pulcherrimæ consideratio paulisper abduxit.*

*Plura dicerem, nisi vestræ benignitatis habenda esset ratio: quamobrem progredior ad ulteriora.*

XV. Sed duæ sunt Chriarum distinctiones, quæ magnum habent pondus in scribendis Orationibus. Primo enim Chria est PRINCIPALIS vel ACCESSORIA. Deinde est ORDINATA, vel INVERSA.

XVI.



XVI. Chria principalis est, quæ totum sermonem disponit.

*Videantur exempla superiora.*

XVII. Chria Accessoria est, quæ certam Chriæ Principalis partem per novam Chriam amplificat.

XIIX. Talis Amplificatio vel dirigitur ad certæ Periodi Antecedens.

*Vide quod supra dictum est de Resolutione Periodi in plures Periodos. Cap. I. §. 24 pag. 18.*

PROT: Etsi multa commendant Oratorem: tamen imprimis urgeri debet clara Pronunciatio.

PROT. *Multa requiruntur ad Eloquentiam.*

ÆT. *Adesse debet rerum & verborum copia.*

COMPAR. *Ut in catena spectamus aurum & artificium: sic in Oratione res & verba.*

CONSEQV. *Sed tamen urgeri quoq; debet Pronunciatio.*

ÆTIOL: Ideo enim loquimur, ut alter alterum intelligat.

CONTRAR: Aliqui probant vocem suppressam: sed errant.

PROT. *Sunt quibus placet pronunciatio submissa.*

ÆTIOL. *Id enim putant auctoritatis & gravitatis signum.*

COMPAR. *Similes sunt fœminis, quæ habentur pulcherrimæ, cum velamentis adhibitis faciem abscondunt.*

Con



Conseq. *Sed istos refutare facillimum est.*

COMPARAT. Ut in ambulando requirimus lucem: sic in auscultando claram pronunciationem.

XIX. Vel inclinatur ad Locum Communem, quem aliqua Periodus suppledit.

PROT. Juvenis debet esse civilis.

ÆTIOL. Sic enim commendatur Patronis.

AMPLIF. à LOCO COMMUNI.

Prot. *O quantum beneficium est habere Patronos.*

Ætiol. *Sic enim via patet promotioni.*

Contr. *Qui sunt ignoti, nullius auxilium sibi promittunt.*

Comp. *Aurum in terra nullis usibus adhibetur, nisi fossorem nanciscatur, qui proferat in lucem.*

CONTRAR: Vidi eruditissimos, qui, quod moribus essent parum acceptis, admiratorem non invenerunt. &c.

PROT. Camerarius fuit Vir laudatissimus.

ÆTIOL. Nam suis studiis illustravit Lipsiam.

AMPLIF. à LOCO COMMUNI.

Prot. *O quanta celebritas in solâ hujus urbis mentione continetur.*

Ætiol. *Floret studiis, commerciis, moribus.*

Comp. *Si Misniam vocares annulum, Lipsia certè foret gemma, &c.*



XX. Chria ordinata est, quæ procedit à Protasi ad Ætiologiam.

*Vide exempla superiora.*

XXI. Chria inversa est duplex. Vel enim procedit ab Ætiologiâ ad Protasin, vel ab Amplificatione ad Protasin.

XXII. Quæ procedit ab Ætiologia ad Protasin, dividitur in ANTECEDENS & CONSEQUENS.

Protas. *Gratulor amico.*

Ætiol. *Nam ipsi natus est filius.*

INVERSIO.

Antec. *Natus amico est filius.*

Conseqv. *Quamobrem ipsi gratulor.*

XXIII. Quæ procedit ab Amplificatione ad Protasin, dividitur in THESIN & HYPOTHESIN, seu, ut alias loquimur, in Propositionem & Applicationem.

Prot. *Civitas gaudet de novo concionatore.*

Ætiol. *Nam prestat doctrinâ, exemplo, facundiâ.*

Amplif. à Comparato. *Quadrat in eum, quod in emblemate habetur, ubi argentea nole adscriptum: CANDIDUM & SONORUM.*

INVERSIO.

Thes. *Pulchrum est emblemata nole argentea &c.*

Hypothes. *Applicari hoc potest ad concionatorem, de quo sibi gratulatur civitas.*

*Nato*



*Nam habet argenteam præstantiam doctrine & pietatis, gratiosum sonum facundia,*

XXIV. Antecedens & Consequens usum habet in Epistolis & sermonibus civilibus.

Quamobrem operæ fuerit pretium, inversam hanc Chriam tractare peculiari capite.

XXV. Thesis & Hypothesis locum habet in omnibus Orationum generibus, quoties externus aliquis splendor ab Allusionibus vel Applicationibus quæritur.

Nam in medium afferri queunt, *Personarum illustrium Apophthegmata, symbola, moneta, emblemata &c:* quæ quidem juvenes, à solidioribus realibus parum instructos, mirificè commendant. Interim ea, quæ videntur profundioris judicii, reserventur Institutionibus Oratoriis.

### CAPUT III.

## DE INVERSA CHRIA

five

## DE EPISTOLIS.

I. Epistola est sermo absentis ad absentem.

*Ergo non multum differt à Sermone præsentis ad præsentem: ac proinde, qui ordinare didicerit epistolas, jam intelliget, quo artificio*



*cio procedant sermones civiles seu compli-  
menta.*

II. Ea vero est vel unius, vel diversi  
argumenti.

*Quæ diversum habet argumentum dicitur fami-  
liaris, quod inter familiares hæc scribendi  
consuetudo maxime servatur.*

III. Epistola unius argumenti non re-  
spuit Chriam ordinatam.

*Rogo velis interesse convivio.*

*Nam adest amicus è peregrinis regionibus redux.*

IV. Pulchrius tamen & convenienti-  
us adhibet Chriam inverfam.

*Anteced: Amicus nuper reversus apud me  
cœnabit.*

*Conseq: Quamobrem rogo velis interesse.*

V. Plerunq; Conseqventi subjicitur  
nova Ætiologia.

*Antec: Amicus apud me cœnabit.*

*Conseq: Rogo velis interesse.*

*Ætiol: Is enim amicus te videre cupit.*

VI. Quamobrem in ordinandis episto-  
lis tria cogitanda sunt:

PROPOSITIO seu argumentum, cujus gratiã  
scribitur.

ÆTIOLOGIA GENERALIS, cur hoc argu-  
mentum scribitur.

ÆTIOLOGIA SPECIALIS, cur jam, & ad hunc  
scribitur.

C

Pro-



Propos: *Rogo velis commodare Libros.*

Ætiol: Gen: *Nam conscribenda mihi est oratio.*

Ætiol: Spec: *Scio te libris instructum, & mei amicissimum.*

VII. Ista si tractes per Chriam inversam, partes epistolæ principales emergunt: ANTECEDENS, CONNEXIO, CONSEQUENS.

Antec: f. Ætiol: Generalis: *Conscribenda mihi est Oratio.*

Connexio f: Ætiol: specialis: *Cum vero te Libris instructum, & mei amantissimum sciam:*

Consequens f: ipsa Propositio: *Rogo velis commodare libros.*

VIII. Accedunt duæ partes tum ornamentum, tum captandæ benevolentiae causa  
sã FORMULA INITIALIS & FINALIS.

Form. Init: *Est negotium, in quo tua mihi prodesse queat benignitas.*

Antec: *Etenim conscribenda mihi est oratio.*

Connex: *Cum vero te libris instructum sciam:*

Conseq: *Rogo velis nonnullos commodare.*

Form. Fin: *Curabo, ne quid patiantur detrimenti: ac vicissim efficiam, ut memori & grato beneficium exhibuisse gaudeas.*

IX. Connexio sæpe constat è pluribus ætiologiis:

An-



Antec: *Vocatus es ad nuptias.*

Connex: 1. *Cum vero is honor mihi quoq; contigerit;*

2. *ac affore dicantur viri honoratissimi.*

3. *quin etiam jubeamur expectare Musicam politioem:*

Conseq: *Rogo mihi velis esse comes.*

X. Consequens etiam continere potest plura membra.

Antec: *Feliciter ingressi sumus annum novum.*

Connex: 1. *Fam te salvum conspicio & incolu- mem.*

2. *Simul autem recordor, quot docu- mentis amicitia tua haectenus fuerit probata.*

Conseq: 1. *Quamobrem de absoluto feliciter an- no gratulor.*

2. *Deumq; precor, velit futuris etiam annis similem indulgere gratiam.*

XI. Formula Finalis vel est Specialis, vel Generalis.

Specialis fluit ex Consequente:

*Commoda mihi librum.*

*Faxo, ut recipias sine damno.*

*Veni ad prandium.*

*Dabimus operam, ut tibi bene sit.*

Generalis continet votum & servitiorum ob- lationem, quæ repeti quoq; potest in a- lio exemplo.



XII. Singulæ partes admittunt Amplificationem per Chriam sive ordinatam sive inverfam.

*Inde hic etiam patet, quantus sit usus Chriæ accessoriae.*

XIII. Per Chriam ordinatam proceditur, cum partibus novæ subjiciuntur Ætiologiæ.

FORM. INIT: Si Vales, gaudeo.

Ætiol: 1. *Cur enim id non faciam, qui te semper expertus sum meis rebus faventem?*

Ætiol: 2. *Aut cur Parenti nolim congratulari, quem agnosco Patronum meæ promotionis studiosissimum?*

ANTECED: Sed audivisti fortasse Lipsiam me esse profecturum.

Ætiol: 1. *Ita suaserunt amici.*

2. *Ita me allicit futurus contubernalis.*

3. *Ita me invitat civitatis splendor.*

CONNEX: Jam adventum mihi felicem vix polliceor, nisi aliorum literæ commendatiæ succurrant.

Ætiol: 1. *Nemo mihi conciliaret Professores.*

2. *Nemo, quos amicos sequar aut fugiam, consuleret.*

3. *Nemo lectionum ordinem aut mores tali vitâ dignos prescriberet.*

CON-



CONSEQ: Qvambrem rogo, velis hanc mihi  
facere gratiam, & literis Tuis aliquam  
gratiæ & benevolentiaë fiduciam excitare.

Ætiol: 1. *Tu enim plurimis ibi gaudes amicis.*

2. *Tu mei curam aliquin habuisti.*

FORM. FIN. SPECIALIS. Efficiam moribus &  
industriâ, ne commendationis Te pœni-  
teat.

GENERAL: Ego vero ad quævis servitiorum  
genera semper futurus sum paratissimus.

DEUMQ; precor, ut Te jubeat esse quam  
felicissimum.

Ætiol: *Sic enim imposterum plures  
Tuo gaudebunt consilio.*

XIV. Per Chriam inversam procedi-  
tur, cum aliquæ partes denuo distribu-  
untur in Antecedens, Connexionem,  
Consequens.

NB.

*Qui hoc in casu distinguere nequeat Chriam  
accessoriam à principali, semper fluctua-  
bit in scribendo, nunquam proficiet in re-  
solvendis Auctoribus*

ANTECEDENS. Velim esse commendatus  
illustri Patrono.

ANTECED. *Eo in studiis sum progressus, ut  
querendus sit Promotor.*

CONNEXIO: *Cum autem spes sit, fore, ut pla-  
ceam Patrono N. N.*

C 3

CON-



CONSEQ. *Nilil opto magis, quam ut commendatio benignior primum mihi aditum conciliet.*

CONNEXIO. *Jam scio tibi satis notum esse Patronum.*

ANTECED. *Jam non ignoro, quantam istius aule habeas notitiam.*

CONNEX. *Et cum tua virtus & humanitas devinciendis hominibus nata sit.*

CONSEQ. *Non dubito, quin ipse Patronus tibi sit notissimus.*

CONSEQVENS. *Quamobrem rogo, ut literis commendatitiis me instruas.*

ANTECED. *Quamobrem in mentem mihi venit insignis Tua benignitas.*

CONNEX. *Et quoniam nuper demum recepisti, fore te in promovendis rebus meis paratissimum.*

CONSEQ. *Rogo nolis mihi denegare commendatitias.*

NB. *Inde cognoscimus omnem Orationem civilem nihil esse aliud, quam continuam repetitionem Antecedentium & Consequentium.*

XV. *Epistola diversi argumenti, & aliquantum confusa, triplex habet artificium, ELOCUTIONIS, MEDITATIONIS, CONNEXIONIS.*

XVI. *Artificium Elocutionis eo tendit, ut quodlibet membrum sine con-*  
ne-



nexione puris & elegantibus verbis exprimitur.

1. *Mitto libellum de artificio & usu Chriarum.*
2. *Amicus in Academia nuper morbo extinctus est.*
3. *Frater functionem aggressus, jam cogitat de nuptiis.*

XVII. Artificium Meditationis singulis membris vel Ætiologiam, vel Allusionem, vel aliud ad rem pertinens subicit.

NB. *Doctrina Topica gnarus intelligere potest, quid mihi velim.*

1. *Mitto libellum &c.*

*Etsi enim primus intuitus rem prorsus puerilem exhibere videtur: ipse tamen progressus demonstrat, nonnulla reperiri, quibus adjuventur provectiores.*

2. *Amicus extinctus est &c.*

*Sic juvenes admonentur quoque, cur eorum Philosophia debeat esse meditatio mortis.*

3. *Frater cogitat de nuptiis &c.*

*Ita nobis affulgebit occasio, ut suaviter combibamus.*

XVIII. Artificium Connexionis vel è quibuslibet membris facit Periodos compositas; vel singula membra pulchris formulis inter se comparat.



Priorem vocamus Connexionem internam.

1. *Mitto libellum, sine dubio tibi gratissimum.*  
Cum enim multi desideraverint accuratiora & breviora conscribenda Chriæ fundamenta; Nunc desiderio satisfactum esse arbitror.
2. *Amicus optimis Parentibus legendi magnam dedit causam.*  
Nam qui moribus & studiis nunquam ipsis displicuit:  
Morbo nuper extinctus, eorundem fiduciam intercipere visus est.
3. *Frater post indispicenda functionis curas novâ nunc sollicitudine tangitur.*  
*Videt uxore sibi esse opus.*  
*Neq; longe nos torquebit nuptiarum expectatione.*

Alteram vocamus Connexionem externam &c.

1. *Mitto libellum de Chriis &c.*
2. *Hunc tamen non leget Amicus nuper defunctus &c.*
3. *Neq; credo eundem iri lectum à fratre, qui totus nunc est in nuptiis.*

XIX. Epistola porro vel est Nuncupatoria, quæ primo scribitur, vel Responsoria, quæ post aliam scribitur.

XX. Responsoria est vel adstricta, s. naturalis, vel libera s. artificialis.



XXI. Adstricta servato priarum literarum ordine, singula certis meditationibus illustrat.

XXII. Libera sensum prioris epistolæ rediit in Propositionem, quæ postea tractatur per *Antecedens*, *Connexionem*, *Consequens*.

Ordinem hunc in Institutionibus vocamus *Naturalem* vel *Artificialem*. ac videatur omnino exemplum ibi exhibitum p. 649. *seqq.* Breviter tamen res ita potest intelligi.

*Sit Epistola nuncupatoria.*

Facere non potui, quin occasione sic favente, scriberem has literas, quæ ut salvum te videant, precor. Est autem, in quo mihi prodesse queat tua benignitas. Etenim Patroni iussu conscribenda confestim est oratio de laudibus exercitiorum equestrium. Neque tamen video, quid proferri queat oculis tam illustribus dignum, nisi melioris notæ libros liceat consulere. Cum igitur celebrata mihi semper fuerit Bibliotheca tua, libris rarioribus instructissima: facile nunc recordor, quibus alioqui documentis tuam in consulendo promptitudinē mihi demonstrare fueris dignatus. Ac proinde, qua par est humilitate rogo, nolis libros in hoc genere scriptos ad parvi temporis usum de-



negare. Faciam ut sine damno quam citissime redeant, simulque memori & grato beneficium exhibitum fuisse, cognoscas. Vale.

*Sic respondebitur adstrictè & naturaliter.*

*Gratisimæ fuerunt tuæ, tum quod amicitia referrent memoriam, tum quod te saluum & incolumem testarentur. Cur autem benignitatem vocas, aut cur multis rogare sustines, quod ego debitum officium agnosco? Ceterum gratulor, dari à Patrono occasionem, quâ diligentiam in studiis amœnioribus adhibitam commendes. Interim laudo circumspeditionem, quod sine cortice natare h. e. sine librorum subsidio rem aggredi consultum vix putas. Utinam ea Bibliotheca mea esset celebritas, ut amicis petentibus respondere ex voto posset. Certe voluntatem meam & inserviendi promptitudinem semper habes in potestate. Ne tamen obstuisse videar desideriis tuis, aliquos transmitto: quos an habiturus sis ad nutum probatos, ipse judicaveris. Quin redituri sint in tempore, non dubito. Tu vero, ut occasione paulum faventiore, servitia velis expectare promptiora & commodiora rogo. Vale.*

*Sed Responsio libera vel artificialis  
ita procederet.*

*Form: Init: Gaudeo de amicitia documento,  
quod in literis mihi dedisti.*

*Antec: Nam petis à me libros, quos adhibeas  
conscribenda orationi.*

*Cor-*



*Connex:* Jam intelligere potes, omnia tibi semper esse paratissima, quæcunque à me præstari queunt.

*Conseq:* Ac proinde, ut libros hic transmissos boni consulas, rogo.

*Form: Fin:* Si plura sint, in quibus inservire queam, velim paucis significes.

XXIII. Qui ad Epistolarum Praxin accedunt, & totum negotium suscipere cum iudicio volunt, novam deprehendunt distinctionem. Est enim Argumenti vel FAVORABILIS, vel ODIOSI.

Favorabilia satis habent, perspicuè proponi.

*e. g. si quis mihi scribat, fore ut solvatur pecunia, vel destinetur publica functio, literæ placebunt vel sine reliquis ornamentis.*

Odiosa commendari volunt insinuationibus & blanditiis. *e. g. qui pecuniam à me petat, vel quæsitæ functionis spem frustraneam esse, dictitet, nisi blandis verbis, & formulis ad amorem & venerationem compositis, nuncium in se durum emolliat, literas scripsisse pessimas videbitur.*

XXIV. Sunt etiam Epistolæ Historiæ s. narratoriæ, quæ tamen, quod habeant artificium *vide Cap. seq: §. IX.*

Nam in elocutione procedunt ut Epistolæ varii argumenti. *vid: supra §. XV.*

CAP.



## DE ORATIONE.

I. Oratio, ut communiter hoc nomen accipitur, est confluxus multarum Chriarum.

Præ cæteris intelligimus declamationem Scholasticam, speciminis, vel honoris, & gratulationis causâ conscriptam. Sed tamen ex his judicari possunt, tum consultationes & persuasiones Politicorum, tum præcipuè conciones Theologorum.

II. Partes habet quatuor: duas essentielles PROPOSITIONEM & TRACTATIONEM; duas accessorias EXORDIUM & CONCLUSIONEM.

Ne desit exemplum, ponamus orationem esse concipiendam de *ATTENTIONE DISCIPULORUM.*

III. Exordium præparat Auditorem, ut tanto facilius ac libentius capiat Propositionem.

Procedit vel per Antecedens & Consequens.

*Magna docentium est molestia.*

*Cum autem ea multum leniatur discipulorum attentione:*

*Constitutum est aliqua de ipsius encomio proferre.*

vel



vel per Thesin & Hypothesin.

*Pericles pingebatur aureis catenis, è suâ lingua  
progressis, alligare civium aures.*

*Utinam hac imagine superbire possent Præceptores.*

*Sic enim leniretur eorum molestia.*

*Ceterum cum à Præceptoribus nihil optari de-  
beat magis: opera pretium fuerit, de atten-  
tione quicquam in medium asferre.*

Paratissimam is habet inventionem, qui cau-  
sas exponit, cur ad dicendum fuerit pro-  
gressus. Sed Inventio nunc stet penes Præ-  
ceptorem.

Propositio est Exordii Consequens,  
& ipsum Thema nominat, cujus tracta-  
tionem expectare debeat Auditor.

Ea vel est simplex:

*Dicam de attentione discipulorum.*

Vel exprimit præcipuas tractationis partes,

*Dicam de attentione, quam ea sit cum maxi-  
mis laudibus conjuncta, quantam asferat u-  
tilitatem, quantas habeat animi dilicias,  
quam parum eâ carere possit juvenis ad so-  
lidam felicitatem perventurus.*

Consuetum est subjicere CAPTATIONEM  
BENEVOLENTIÆ, ut rogentur audito-  
res velint silentio, attentione, favore dicen-  
tem, in se tenuem & inexercitatum, sub-  
levare.

V. Tractatio diversis rationibus The-  
ma propositum illustrat. Nam



Nam quot afferri possunt rationes, tot habemus Protases, quæ per Chriam ulteriorem explicentur.

VI. Loci, unde rationes depromuntur, pro captu tironum sunt, cum argumentum vel laudari debet, vel vituperari,

ab HONESTO

à TURPI.

à DECORO

ab INDECORO.

ab UTILI

à DAMNOSO.

à JUCUNDO

à MOLESTO.

à FACILI

à DIFFICILI.

à NECESSARIO

à FUGA NECESSARIA.

1. *Chria*, Attentio est honesta.

ÆTIOL: Nam DEUS & Leges eandem injungunt.

2. *Chria*. Attentio est decora.

ÆTIOL. Nam affert eruditionis opinionem.

3. *Chria*. Attentio est utilis.

ÆTIOL. Nam efficit, ut feliciter succedat informatio.

4. *Chria*. Attentio est jucunda.

ÆTIOL. Nam ipsa rerum propositarum varietas delectat.

5. *Chria*. Attentio est facilis.

ÆTIOL: Nam Præceptores se accommodant ad captum.

6. *Chria*. Attentio est necessaria.

ÆTIOL: Nam alioquin defendi non potest Studiosi titulus.

NB.



NB. Quantum quævis Periodus suis adjecti-  
onibus illustrari, quævis etiam Chria  
suis Amplicationibus extendi debeat, col-  
ligi potest ex iis, quæ *Cap. I. & II.* jam  
diximus.

VII. Istæ vero rationes valent in acti-  
onibus & negotiis humanis: vicissim  
cum laudatur vel vituperatur Persona,  
commodissimum est respicere ad Bona  
vel Mala ANIMI, CORPORIS, FOR-  
TUNÆ.

Bona animi sunt *eruditio, virtus, ingenium, &c.*

Bona corporis, *valetudo, forma, robur, mem-  
brorum integritas. &c.*

Bona fortunæ, *Parentes, Patria, Amici, Nobili-  
tas, opulentia, dignitas, successus, celebri-  
tas &c.*

NB. Ista dum de Personis allegantur vel lau-  
dis vel vituperii causa, pulchra semper  
patet digressio ad Locum communem.  
*vid: pag: 30.* quæ tamen altioris sunt in-  
daginis.

VIII. Interdum vel in Exordio vel in  
Tractatione necessaria videtur narratio.

*Si quis dicturus esset de victoria Caroli M. adver-  
sus Saracenos, in Exordio premitteretur ali-  
qua ejus narratio quæ auditorem redderet do-  
cilem.*



*Si quis ideo in tractatione laudaret Carolū, quod Saracenos vicisset, opus est Amplificatione per narrationem s. per circumstantias, ut argumenti vis cognitā historiā magis elucesceret.*

IX. Est autem Narratio ordinata descriptio per Circumstantias.

Ordinatam dico, ut pulchrè sibi succedant ANTECEDENTIA, CONCOMITANTIA, CONSEQUENTIA.

Circumstantias nomino, ut Personarum, Locorum, Temporum habeatur ratio *Vid. Institut. p. 590.*

NB. *Hic semper valet Amplificatio à Meditatione.*

X. Conclusio vel propositum Thema denuo confirmat, vel doctrinam inde fluentem verbis affectuosis exaggerat.

*Vide supra pag. 25.*

Plura quæ subjici possent, petantur ex ipsis Institutionibus. Quas certe capient, quibus quatuor hæc capita lucem accenderunt.


D. S. G.























Ung III A. 114

ULB Halle

3

003 311 996




VD 17  
Vd 18

£









CHRISTIANI WEISII,  
 ABSIDIUM PUERILE  
 de  
 ARTIFICIO  
 & USU  
 VARIARUM  
 in eorum gratiam,  
 qui tandem ad  
 INSTITUTIONES  
 ORATORIAS  
 in cursu tum ipsi pergere,  
 tum aliis  
 formatione vel consilio  
 praeire volunt,  
 publici juris factum.

---

*Zittavia,*  
 apud Michaëlis Hartmanni.  
 MDC LXXXIX.

2

